

www.e-rara.ch

**Acta et decreta conventus generalis clericorum territorii S. Galli in
Ecclesia Rosacena celebrati**

Sfondrati, Celestino

Typis ejusdem Monasterii S. Galli, 1763

Stiftsbibliothek St. Gallen

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-129843>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

ACTA
ET
DECRETA
CONVENTUS
GENERALIS

CLERICORUM TERRITORII S. GALLI
IN
ECCLESIA ROSACENA
CELEBRATI

Ab s

ILLUSTRISSIMO, & REVERENDISSIMO
S. R. I. PRINCIPE, ET ABBATE MO-
NASTERII S. GALLI

CÆLESTINO SFONDRA TI.

Anno 1690. die 8. Maii.

NUNC DENUO AD UTILITATEM EJUSDEM CLERI
PAUCIS INNOVATIS RECUSA.



Typis ejusdem Monasterii S. GALLI, MDCC LXIII.

ACTA

ET

DECRETA

CONVENTUS

GENERALIS

CLERICORUM TERRITORII S. GALLI

IN

ECCLESIA ROSACENSIS

CELEBRATI

ANNO

MILLESEXIMO. & REVERENDISSIMO

S. R. I. PRINCIPIS. ET ABBATIS MO-

NASTRI S. GALLI

CELESTINO SECONDO

ANNO DOMINI MDCCLXXII

IN VITIS AD CLIVAM. MUSEUM CLERICI
PAULI LANTAS RECTORIS

—————

In quibus continetur S. GALLI MUSEUM

PROPOSITIO FACTA

Abs

Illustrissimo Principe, & Abbate
S. GALLI.

 *Reverendi, & Venerabiles Sacerdotes. Totum hunc mundum lacrymis, & ærumnis nunc plenum, aliquando pristina iterum felicitati, ac flori, in quo conditus est, restitutum iri, non potest dubitari: id enim sacræ pagine apertè testantur: Vidi, inquit Joannes, Cœlum novum, & terram novam. Apoc. 21. & S. Paulus: Ipsa Creatura liberabitur à servitute corruptionis in gloria filiorum DEI. ad Rom. 8. Quando hæc labentis mundi renovatio futura sit, à nobis certò quidem sciri haud potest, multi tamen Astrologorum sibi persuadent, tunc faciendam esse, cum omnes Planeta conjungentur; unio ergò, Syno-*

dūcque Planetarum argumentum erit reflorescentis mundi. Ita prorsus in Christi Ecclesia neminem latet, quantum ista à primo illo fervore, & innocentia Christianorum defecerit; nec alia melior ratio illam restituendi pristina integritati, quàm ut Sacerdotes sepè convenient; hi enim sunt illi Planetae, de quibus Propheta: Qui erudiunt multos ad Justitiam, fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates. Et ipse Christus: Vos estis, inquit, lux mundi. Sicut ergò salus mundi Conventus Planetarum; ita salus Ecclesiæ Conventus Sacerdotum. Hec causa fuit vos convocandi. Primò quidem, ut obligationi, ac desiderio meo satisfacerem, vosq; amantissimè salutarem, in quos curam mihi creditarum animarum deposui. Secundò, ut me vestris precibus, ac sacrificiis commendarem, ac tandem, ut à vobis intelligerem, quæ potissimum in hoc Territorio emendanda veniant, quibûsque remediis.





DECRETA, & CONSTITUTIONES.

§. I.

De Obligationibus, vita, & honestate Clericorum.

P RIMO. Præcipua pars Reformationis Ecclesiarum ex moribus dependet, vitæque Clericorum; vix enim fieri potest, oves errare; aut si erraverint, non iterum in viam reduci vigilante Pastore, & in opus suum incumbente; idque experientia docet; florent enim, & frequentantur officia divina, vitia exulant, morésque sæcularium compositi sunt, quoties, & ubi suis officiis Parochi ritè funguntur: at verò, ubi Parochi otiosi, & desides, quòdque pejus est, mali exempli, & vitæ dissolutæ, experimur Fidem, Religionem, cultum divinum, virtutes, & omnia pessumire. Unde facile est respondere ad quorundam Parochorum querelas, causantium negligentiam, malitiam, & contemptum suorum subditorum; id enim plerùmque in culpam Sacerdotum redundat, cùm tales sint subditi, quales à Pastoribus formantur; sicut filiorum mores plerùmque ex parentum educatione pendent. Si conqueratur Hortulanus, zizania in hortis omnia occupare, areolas siccitate inarefcere, volucres prædari teneros fructus, quid aliud respondebis conquerenti, quàm remedia in potestate, arbitrioque cultoris esse? si enim arida riget, zizania evellat, volucres fuget, impleatque partes officii sui, omnia illa mala cessabunt; ita omninò in cura animarum.

SECUNDO. Quodd videamus in Ecclesia esse Sacerdotes aliquos, qui cum ingenti damno animarum malè suis officiis funguntur; præcipua causa est, quodd ad statum Clericalem percurrant non à Deo vocati, sed à mundo, vanisque respectibus intrusi; hoc est, non ex zelo lucrandi animas, sed vel ob metum parentum, vel ob paupertatem, quâ in mundo premuntur, vel spe inducti pinguum beneficiorum, sicque quantumvis sciant se tanto oneri, & obligationibus impares esse; jugum tamen suscipiunt, quod portare non possunt. Monemus ergo, & in Domino obtestamur, quotquot ad statum Sacerdotalem, curâque Pastoralem aspirant, ut juxta consilium Apostoli, & ipsius Christi Redemptoris nostri, *probent Spiritum, si ex Deo sit, & si sumptus habeant, qui necessarii sunt ad turrin perficiendam Evangelicæ perfectionis.* Omnes temporales affectus animo excludant: cum suis Pastoribus spiritualibus consilia conferant: diligenter se ipsos examinent, an ferendis oneribus clericalibus idonei sint: spiritualia exercitia apud viros aliquos doctos, probosque fervidè præmittant; sed ante omnia ardentissimis precibus divinam voluntatem explorent, & denique memores sint illius consilii à S. Gregorio Magno præscripti, qui in Pastoralis p. 2. c. 9. *Virtutibus, inquit, pollens ad regimen coactus veniat; virtutibus verò vacuus nec coactus accedat.*

TERTIO. Factus Sacerdos cogitet se Deo, Angelis, & hominibus in spectaculum propositum esse, sicque obligari, ut Deo conscientiam, vitâque bonam exhibeat, hominibus verò bonam famam, & exemplum. Famam bonam quod attinet, eam sibi Sacerdos comparabit, si in omnibus externis actionibus sanctitatem spiret Angelicâ suâ vocatione dignam. Habitus honestus, & gravis: facies hilis, & modesta: verba plena prudentiæ, semperque odorem paradisi spirantia. Sit affabilis, misericors, ad consulendum, & adjuvandum promptus: omnes levitates, rixæ, scurrilitates, joci immodesti, crapulæ, & ebrietates, & quidquid obscurare potest Sacerdotalem dignitatem, procul ab eo sint. Denique ita se domi, forisque gerat, ut quotquot eum vident, audiuntque, ad pietatem, modestiam, castitatem, charitatem, & compunctionem moveantur; impleâtque illud Domini nostri præceptum: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in celis est.*

QUARTO. Conscientia verò Sacerdotis quàm pura, & immaculata esse debeat, vel ex eo uno intelligitur, quodd quotidie pascuntur Corpore, & Sanguine Christi Jesu. Cum ergo huic cœlesti, & divino Convivio quotidie assideant; oportet semper veste nuptiali indutos esse, hoc est, Conscientiam habere ab omni peccato gravi immunem: præter enim gravissimum sacrilegii scelus, quo Sacerdos se obstringeret,

indignè mandueans Corpus Domini, & gravissimam damnationem, quam sibi pararet; maximæ quoque calamitates in totum populum concitarentur, ut patet exemplo filiorum Heli Sacerdotis, ob quorum sacrilegia permisit DEUS Arcam capi, templum in Silo destrui, totumque exercitum populi fidelis ad internecionem deleri. Ad hanc quoque conscientiae puritatem plurimum conducet, si Sacerdotes studiosissimè otium vitent, semperque honestis laboribus occupentur. Id verò fiet, si accuratam temporis distributionem sibi præfigant, certasque diei horas habeant, quibus libros spirituales legant, quando horas Canonicas persolvant, sacrificium celebrent, studiis operam dent, prandeant, cænentque, honestis recreationibus, & ambulationibus animum remittant, ægrotos invisant, œconomica tractent, conscientiam examinent, &c. Sic enim distributâ die nullum tempus otio supererit; sublato verò otio maxima quoque pars, & præcipua delinquendi occasio sublata erit. Sed præcipuum medium divinam amicitiam conservandi, erit quotidianum Missæ sacrificium, si videlicet illud non ex usu, aliòve humano respectu, sed cum debita præparatione, reverentia, & attentione peragatur.

QUINTO. Habitum Clericalem domi, forisque gestent. Is verò sit in Templo tunica talaris cum superpellicio. Vestes sint quidem nitidæ, honestæque pro qualitate, & dignitate personæ; omni tamen vanitate, fastuque semoto. Collaria non sint ampla: coma, & barba brevis ad evitandas irreverentias in quotidiano sacrificio; verbo: tota species exterior Sacerdotis honesta sit, & gravis, quæque reverentiam, & pietatem omnibus inspiret.

SEXTO. Si quando animi remittendi causâ ludo vacent; is non sit ex illis, quos sacri Canones prohibent, nec diuturnus, sed brevis, & cum sui similibus; nec faciliè admittant sæculares, nisi honestioris conditionis.

SEPTIMO. Cum nihil magis æstimationem Sacerdotum minuat, quàm vel ipsa suspicio incontinentiæ; idèò ancillæ, quas necessariè domi habent, sint sanguine conjunctæ, aut provectæ ætatis, nec in uno hypocausto hyeme degant; nec prætextu conficiendarum, aut lavandarum vestium scæminas domi habeant. Ebrietas, quæ summum contemptum parit, omnemque profectum in populo impedit, procul à Clerico sit, sicque tabernas non adeant, nec convivia nuptialia, & ab aliis quoque epulis, nisi honestissimæ sint, abstineant. Nec etiam occasione anniversariorum, aut aliarum solemnitatum convivia, vel lusus ad seram usque noctem protrahant non sine scandalo sæcularium. Multò minùs foris pernoctent, nisi ex gravissimis, & honestissimis causis; ne fortè eorum absentia ægrotantibus, morientibus, aut aliàs fortuito casu percussis detrimento sit.

OCTA-

OCTAVO. Cùm una ex præcipuis Parochorum obligationibus sit agnoscere vultum pecoris sui juxta illud Christi Domini præceptum: *Ego cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ.* Ad hunc finem consequendum, quilibet Parochorum quadruplicem sibi indicem conficiat, in quorum primo notentur doctiores, & peritiores, quorum ope, & instructione alii in rebus necessariis instrui possint. In Secundo rudiores, ut quæ ad fidem, ad mores, ad Sacramenta ritè percipiendâ, & ad alias obligationes sui statûs pertinent, certis diebus, & horis edoceri possint. In tertio pauperes describantur, ut de mediis cogitari possit, illos adjuvandi, idque aut elemosinis ipsorum Parochorum, aut Communitatis, aut communis ærarii, aut locorum piorum, aut denique, si hæc non sufficiant, liberalitate Illustrissimi, & Reverendissimi Principis, & Abbatis. In quarto denique consignentur nomina eorum, qui dyſcoli sunt, in statu periculoso versantur, v. g. blasphemæ, usurarii, adulteri, aut suspecti istorum criminum, itémque ebrietati, malis societatibus obnoxii, quique rarò Sacramenta frequentant, apud Hæreticos versantur, in fide periclitantur, malè in matrimonio vivunt, odia, & inimicitias fovent &c. Oportebit ergò Parochum qualibet hebdomadâ semel, horisque, & diebus destinatis hos Catalogos percurrere, expendere, & de remediis cogitare, nec prius desistere, quàm efficaciter necessitati provîsum sit.

NONO. Cùm plurimum ad Religionem, devotionem, & amorem Parocho conciliandum intersit, ut officia divina cum magno decore, & gravitate peragantur; studeant Parochi, ut ceremonias, & quæ ad cantum necessarium conducunt, optimè discant, nec permittant, aut in Ministrantibus, aut in ædituis, aut in altaribus, aut in sacris vestibulis, aut denique in toto Templo aliquid esse, quod oculos spectantium offendat, aut reverentiam minuat sacris Locis, sacrisque Myſteriis debitam.

DECIMO. Studia litterarum tam necessaria sunt Sacerdoti, quàm lux soli, quomodo enim alios illuminabunt ipsi obscuri? aut quomodo alios docebunt ipsi indocti? sed nihil æquè Clericum contemptui exponit, quàm ignorantia. Curabunt ergò Sacerdotes, ut singulis diebus aut perlegendæ sacræ Theologiæ, aut spiritualibus libris, aut explicationi sacrarum Scripturarum operam impendant; eritque illis utilissimum, si præter lectionem adhibeant etiam certis temporibus aliquam, utilémque scriptionem, v. g. adnotent resolutiones Casuum difficiliorum, vel majores, minúsque obvias difficultates, & objectiones sacrarum Scripturarum, aut Controversiarum. Notent quoque elegantiores historias, eruditiones, similitudines, conceptúsque sacræ Scripturæ, quæ omnia mirificè faciunt ad Conciones exornandas, ipsique Sacerdoti conciliandam autoritatem. Sed & in lingua vulgari libros legant, ac etiam obser-

observent, quæ ad nitidam, & eloquentem locutionem pertinent. Sic implebitur præceptum à Spiritu Sancto Pastoribus præscriptum, videlicet: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, &: Ex ore illius legem requirerent, quia Angelus Domini Exercituum est.* Erubescendum enim erit, si Prædicantes, & Ministri falsæ doctrinæ, ac Heterodoxi eruditione, doctrinâ, & eloquentiâ nostros Sacerdotes superent.

UNDECIMO. Cùm DEus singulis mandaverit de proximo suo; Sacerdotes, ubi aliquem, vel ex suis Confacerdotibus, vel ex secularibus intellexerint peccato, aut peccati periculo obnoxium esse, malâque famâ laborare, dexterè, & simul efficaciter præceptum fraternæ correctionis impleant juxta formam Evangelicam; quod quidem fraternæ correctionis officium respectu suorum Parochialium omninò necessarium est, & præceptum involvit.

DUODECIMO. Scire debent, proventus Ecclesiasticos, quos ex beneficiis percipiunt, esse Sanguinem Christianorum, qui pro delendis peccatis, juvandisque animabus illos instituere, sicque Parochi non sunt hujusmodi proventuum liberi, absolutique Domini, sed tantum administratores. Quæ ergò ex hujusmodi proventibus supersunt, hoc est: quæ ad honestum victum, amictum, medicinas, libròsque necessaria non sunt, ea in pios usus, ac præsertim pauperum solatia adhibenda sunt. *Facultates*, inquit S. Bernardus, *Ecclesiarum, Patrimonia sunt pauperum; & sacrilegâ crudelitate illis diripitur, quidquid Dispensatores ultra victum, & vestitum sibi accipiunt.* Quàmvis verò, si Parochorum Confanguinei paupertate laborent, istis quoque subvenire liceat; videndum tamen est, ne in hujusmodi eleemosinis majorem partem habeat non Christus, sed caro, & sanguis, sicque nullum meritum, nec mercedem sibi acquirant.

DECIMO TERTIO. Caveant quoque diligenter Parochi à peccatis omissionum, quæ quantò sunt occultiora, tantò periculosiora. Si enim omittant Parochi prædicationem Verbi DEI, Catechesin, visitationes, & provisiones infirmorum, exceptiones sacrarum Confessionum, correctiones fraternas, inquisitionem flagitiorum, quæ in sua Parochia grassantur, & hujusmodi alia ad officium Parochiale spectantia; certum est, omnia damna, omnesque jacturas animarum ex hujusmodi omissionibus consecutas ad culpam Pastoris pertinere. Idem dicendum est, si Parochi omittant, quantum in eorum viribus est, sive concionando, & dehortando, sive ad superiores recurrendo, abrogare abusum, scandala, concubinatus, promiscuos conventus virorum, & scæminarum, quæ à Tertulliano optimè appellantur *Consistoria impudicitia*, & *Veneris Sacrarum*. Eodem modo ad peccatum omissionis pertinet, si quis omit-
tat congruentem, & necessariam sibi scientiam comparare tam ad Con-
fessionem.

fectiones excipiendas, quàm ad Conciones, & Catecheses instituendas. Sapissimè ergò meminerint Parochi formidandissimi exempli Heli Sacerdotis, qui Pontificatu privatus est, morte repentinâ punitus, ejus familia penitus deleta, Templum quóque, & Arca DEI hostibus tradita, nec ob aliam causam, quàm quòd omisisset corrigere filios, & subditos suos; ita habemus *1. 1. Reg. 3.* ubi DEus ita loquitur: *Juravi Domui Heli, quòd non expietur iniquitas domus ejus victimis in æternum, eò quòd noverit filios indignè agere, & non corripuerit eos.* Sed, & in extremo Judicio, ut observat S. Augustinus, sententia æternæ condemnationis solis peccatis omissionum imponetur: *Esurivi, & non dedistis mibi manducare; sitivi, & non dedistis mibi bibere; infirmus fui, & non visitastis me.*

§. II.

De reformandis moribus subditorum Territorii S. Galli.

PRæcipua Pastorum cura esse debet, ut vitia eliminent, & virtutes Christiano dignas ubique plantent; aded ut quod olim Jeremiæ Prophetæ, nunc omnibus Curatoribus animarum à Deo dicatur: *Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & ædifices, & plantes. Tu ergò accinge lumbos tuos, & surge, & loquere ad eos omnia, quæ ego præcipio tibi, ne formides à facie eorum.* Operæ ergò precium duximus, corruptelas aliquas adnotare, quæ maximè grassantur, & eradicandis omnem operam Parochi impendant, deferantque, quæ ipsi emendare non poterunt ad Fiscalem San-Gallensem; ac sæpè indiculum hunc Parochi legant, examinéntque, ut scire possint, quæ emendata sunt, quæque emendatione adhuc egent.

PRIMO. Cogendi sunt Juvenes, ut aut opificiis operam dent, aut aliàs rusticis laboribus occupentur, nullique otiosi permittatur; id enim fomentum est omnium vitiorum.

SECUNDO. Curabunt Parochi, ut pupillis, viduis, pauperibus, aut aliàs malè patrimonium suum administrantibus Tutores, ac Curatores ab Officialibus sæcularibus destinentur, qui invigilent, ut Clientes sui Christianè educentur, eorúmque facultates pessum non eant, quantumque fieri potest, nulli permittatur mendicare; curent etiam, ne mercedes Tutoribus dandæ nimix sint, & superfluxæ, ac noxiæ expensæ in annuis rationibus caveantur.

TERTIO. Ludimagistri in omnibus Parochiis constituendi, assignatis necessariis proventibus; qui Ludimagistri solitum juramentum, ac Fidei Professionem emittant, doceantque pueros litteras impressas magis, quam scriptas legere.

QUARTO. Curent quoque aedes, praesertim suspectas singulis annis semel, iterumque visitare, pararique cubicula necessaria, ne liberi cum parentibus, aut promiscue cubent, id enim maximorum flagitiorum occasio est. Cavendum quoque, quam maximè fieri potest, ne juvenes ad fœturas, & admissuras equorum, & jumentorum admoveantur, quippe cum gravissima scelera etiam contra naturam à juvenibus in hoc opere addiscantur.

QUINTO. Praecipue & in Concionibus, & in Catechesibus, ac etiam privatim seriò admonendi sunt Parentes, ut omnem diligentiam adhibeant filiis suis Christianè educandis, prohibendisque ab ebrietatibus, juramentis, inhonestis amoribus, malisque societatibus.

SEXTO. Sæpè sæculares Officiales, Judices inferiores, & apparitores urgeantur officiis suis ritè fungi, ac praesertim mandata executioni dare; in quem finem singuli Parochorum exemplaria Mandatorum penes se habeant.

SEPTIMO. Cauponibus sæpissimè inculcandum, ne ebrietates, promiscuos conventus, choreas, & hujusmodi corruptelas in suis tabernis permittant; diligentèrque in Cauponum mores inquirent; & ubi nimis frequentes Caponas, & non necessarias in suis Parochiis invenerint, superiores admoneant, urgeantque eas aboleri.

OCTAVO. Computationes, & Conventus juvenum, ac puellarum, quod attinet; quamdiu illæ à superioribus permittuntur, curent Parochi, ut omnes cautelæ observentur à superioribus indictæ, ne videlicet eâ occasione peccandi licentia invalescat. Interim seriò examinabimus, an expediat, hujusmodi Conventus penitus tolli.

NONO. Vitio ebrietatis se Parochi efficacissimè opponant, cum illo, & facultates, & animæ pessumeant, praesertim in mulieribus.

DECIMO. Si Mendici aliqui ad extrema redacti, & ferè moribundi reperiantur, moneat, curètque Patochus loci, ne de loco ad locum transferantur, nisi viribus restituti, & Sacramentis provisi.

UNDECIMO. Invigilent Parochi, ne licentia ludendi Parochianis detur, quod intelligendum est de lusibus aleæ, aliisque prohibitis.

DUODECIMO. Declament sæpè contra conventicula nocturna, & diurna, vulgò die *Stubendten*, curentque, ut à sæcularibus Officialibus ea tollantur, & executioni dentur, quæ toties prohibita sunt, & nisi ipsi prævaleant, reos deferant ad Fiscalem San - Gallensem.

DECIMO TERTIO. Non sinant puellas solutas in separatis ædibus degere, & si quas intelligant in Parochiis suis esse, urgeant iterum, iterumque Officiales sæculares, ut remedium adhibeant; aut, si isti omitant, Fiscalem San-Gallensem moneant.

DECIMO QUARTO. Summopere dolendum est, ex tam frequenti Sacramentorum usu, præsertim Confessionis, sacræque Communionis tam parvum fructum, ac modicam emendationem in nostris subditis observari. Unde timendum est, quamplurimas Confessiones invalidas, ac sacrilegas esse defectu doloris, verique propositi. Caveant ergò Parochi, ne indignos absolvendo se complices sacrilegii faciant. Ac præsertim advertant, ut recidivos, qui nulla signa veræ, & sinceræ pœnitentiæ exhibent, ac nulla remedia spiritualia adhibent blasphemiiis, falsis juramentis, & impuritatibus evitandis, non absolvant; sed hujusmodi sine absolutione dimittant, monitos tamen periculi, & absolutionis impendendæ, si post duas, trêsvè hebdomadas melius dispositi revertantur, ac interim à peccatis cessent, & remedia à Confessario præscripta diligenter usurpent. Illi quoque, qui post recens peccatum adhuc iniquitate madidi absolutionem accipiunt, non statim admittantur ad sacram Communionem, sed prius aliquot diebus bonis operibus operam dent, animûmque disponant ad tantum Sacramentum; indecens quippe est, ut qui, vel quæ præteritâ modò nocte peccato se inquinavit; hodie Venerabilem Evcharistiam accipiat, id quod diligenter cavet S. Carolus Borromæus, qui & ipsos Conjuges, pridie congressos sacrâ Synaxi prohibuit. Sæpius quoque Domini Parochi efficaciter, ardentèrque suos adhortentur, ne illa die, quâ sacro epulo pasti sunt, cauponas frequentent; indignum quippe est, ipsos Hæreticos iis diebus, quibus Cœnam suam manducant, aut orationes instituunt, abstinere hospitiiis, Catholicos verò commensationibus, inhonestis amoribus, aliisque dissolutionibus vacare. Hæc res summopere necessaria est, & non obtemperantibus proximâ vice neganda est Communio; persuasissimum enim nobis est, si Fideles dignè Sacramentis utantur, ingentem morum emendationem secuturam.

DECIMO QUINTO. Ipsi quoque Sacerdotes, & Parochi summopere caveant, ne obtentu lavandarum, & reficiendarum vestium, aliorumque laborum domesticorum mulieres domi habeant; id enim & periculosum est, & sæcularibus magnam præbet scandalorum, & obloctionum materiam. Unde veneratio Sacerdotibus debita, adeoque necessaria magnam jacturam patitur. Ipsi præsertim Decani, & Capitulorum Superiores, ne id contingat, diligentem operam adhibeant.

DECIMO SEXTO. Curent Parochi, ut qui ad sacram Communionem accedunt, honestè vestiti sint, alioquin à sacra Communionemoveantur.

DECIMO SEPTIMO. Cum nundinae diebus feriatis à populo frequentantur, Parochiani sedulò moneantur, ne occasione nundinarum audire sacram Missam omittant.

DECIMO OCTAVO. Imagines, statuæ Beatissimæ Virginis, & Sanctorum minùs decentes, inhonestæque vel emendentur, vel comburantur, ne potiùs in contemptum Religionis, quàm devotionem cedant.

DECIMO NONO. Omni industriâ laboretur, ut in singulis Parochiis obstetrices Catholicæ, peritæque habeantur, ne contingat parvulos sine Baptismo decedere.

VIGESIMO. Sedulò Parochi conficiant, perlegântque Catalogos suorum Parochianorum, qui Hæreticis serviant, & si in periculo versentur, quovis modo revocandos curent, præsertim verò adolescentes, quæ magis periculo obnoxia sunt, hujusmodi servitiis arceantur. Multominùs permittendum est, ut parentes liberos suos ad scholas Prædicantium mittant.

VIGESIMO PRIMO. Denuntient superioribus conjuges separatos, moneântque sæpè mulieres, ut ante partum confiteantur, & filiolos, quos enixa sunt, statim Baptismo tingendos curent.

VIGESIMO SECUNDO. Ubi nulli sunt Ludimagistri, qui pueros legere doceant, curandum erit, ut instituantur, & necessario stipendio donentur, ipsi verò Ludimagistri tales sint, qui juventuti exemplo non noceant.

VIGESIMO TERTIO. Sponsi ex diversis Parochiis in utràque denuntientur, nec permittantur factis Sponsalibus diu matrimonium differre; præsertim verò vagi, & de quibus non constat, an soluti sint, nullo modo copulentur, nisi petirà licentiâ à R. P. Officiali: sed & ipsos Sponsos, priùsquàm Matrimonio jungantur, diligenter examinent circa fidei articulos, modùmque in necessitate baptizandi; quem si non calleant, ipsi Parochi patienter, & sedulò instruant, moneântque, ut Sacramentalem Confessionem nuptiis præmittant.

§. III.

De Fide Orthodoxa.

PRIMO. Non permittantur Calvinistæ in veteri S. Galli Territorio degere, aut servire, & si qui sunt, maturè denuntientur.

SECUNDO. Quia paupertas sæpè causa est Apostasiæ, si qui Catholici patrimonium suum dilapidant, confestim Superioribus denuntientur, ut iis provideri maturè possit.

TERTIO. Decani quater in anno, hoc est, post sacra tempora duos, vel tres à suis Capitularibus prudentioribus ad se vocent, & cum iis conferant de modo Orthodoxæ Religionis conservandæ, & abusibus tollendis, qui detrimento esse possunt.

QUARTO. Omnimodò caveatur, ne pupillis Catholicis Tutores destinentur Heterodoxi.

QUINTO. Invigiletur, ne Catholici bona sua cum præjudicio Religionis vendant.

SEXTO. Parochi erga alterius Religionis homines omni humanitate, charitate, & beneficentiâ utantur, id enim est medium efficacissimum iis sanctitatem nostræ Religionis persuadendi, cum ex adverso contumeliis, austeritate, aliisque modis Christianæ charitati adversis potius averfionem concipiant.

SEPTIMO. Observatum est, uxores Heterodoxas, & nuptiarum causâ conversas sæpè in fide, fideique exercitiis tepidas, desidèesque esse, ac tales quòque filios procreari, unde frequentes Apostasiæ; magnâ ergò discretionem utendum est, ne fortè hujusmodi Matrimonia plùs noceant, quàm prosint Religioni, quamvis negari non possit, DEum hujusmodi nuptiis sæpè uti ad Religionem augendam.

OCTAVO. *Titulus Evangelici* iis tantùm convenit, qui veram Religionem profitentur, & idèò permittendum non est, ut Catholici hoc titulo eos honorent, qui extra Ecclesiam sunt.

NONO. Cavendum quòque est, ut nullæ penitus novitates ab Heterodoxis inducantur, sed antiquis moribus utantur.

DECIMO. Si qui mendici in ædibus Calvinistarum decumbunt, & vitâ periclitantur; à Parochis etiam non vocatis visitentur.

UNDECIMO. Nullo modo permittendum, ut Baptismus parvulorum differatur; quod si Prædicantes faciant, mox denuntientur.

DUODECIMO. Quantum fieri potest, obstetrices tantùm Catholicæ ad puerperia admittantur. Quòd si verò obstetrix Catholica haberi non possit, summoperè curetur, ut una, vel altera mulier Catholica interfit, quæ Baptismum, si necessitas exigat, conferre possit.

DECIMO TERTIO. Curent DD. Parochi, quàm maximâ fieri potest diligentia, & dexteritate, ne Catholici cum A catholicis nuptiis jungantur, eâ conditione, ut proles natæ Patris, Matrisve fidem sequantur.

DECIMO QUARTO. Sæpiùs Catholicorum libri visitandi sunt, ne forsan hæreticos habeant, quorum lectione in maximum periculum adducuntur.

§. IV.

De Cultu Divino, & observatione Fæstorum.

PRIMO. Sacrum ordinarium, seu quotidianum, quantum fieri potest, in omnibus Ecclesiis unâ, eâdemque horâ, legatur, tempore videlicet æstivo horâ septimâ ; & hyemali horâ octavâ. Rubricas Missalis sæpius legant, ac relegant, & Ceremonias in eis præscriptas in ipsa celebratione accuratè observent, præsertim quoad qualitatem, & numerum orationum ; secretò proferenda secretò proferant, præscriptis de suo ex quacunque devotione nihil addant nihil demant, nec festini nimium sint, nec etiam nimis tardi : omnes quoque exoricos, & singulares modos omninò devitent : totum denique Officium Divinum quoad festa, & Ritus celebrare tenentur juxta Directorium Clericorum Territorii Sancti-Gallenensis.

SECUNDO. Quovis die festo Conciones, & Catecheses instituantur, quòd si Conciones diebus Fæstis ob frequentiam haberi non possint ; Catecheses saltem à prandio numquam omittantur ; illæ enim necessariae sunt, & ut fide Catholicâ subditi ignorantes instruantur, & ut juvenum otia evitentur.

TERTIO. Cùm verò spes emendationis præcipua ex DEI Verbo dependeat ; curabunt Pastores animarum, omnemque diligentiam impendant, ut Conciones cum fructu audiantur. Id verò fiet, 1. Si materias, & argumenta deligant, quæ solida, & maximè moventia fundamenta Christianæ vitæ complectuntur, qualia sunt de quatuor novissimis, de æternitate, de modo se præparandi ad mortem, de Confessionibus ritè instituendis, de dolore, proposito, & remediis se emendandi, de fuga occasionum, de maximo periculo in peccata relapsorum, de gravitate juramentorum, de perniciosissima juvenum consuetudine amoris inhonestos exercendi, de bona, & mala educatione infantium, de venia, & pace inimicis danda, de gravitate Sacrilegii indignè communicantium, de pretio Sacrificii Missæ, modòque illud fructuosè audiendi, de vitandis compotationibus, choreis, conventibus nocturnis, &c. His, inquam, argumentis insistant Parochi, relictis aliis Panegyricis, & exornativis, quæ haberi solent præcipuè in festis Sanctorum ; hæc enim ob materiæ sterilitatem, & incapacitatem audientium vix fructum ullum habent. 2. Modus verò dilatandi, & deducendi hujusmodi gravia, & solida argumenta erit per rationes, quæ animum movere, & persuadere solent, adhibitis quoque solutionibus difficultatum, quas peccatores opponere solent, v. g. aliqui opponunt spem in morte

te pœnitendi, alii impedimenta relinquendi proximas occasiones, alii communem consuetudinem omnium ferè juvenum ante nuptias amores exercentium; hæc, & alia debent à Concionatoribus clarè, & efficaciter convinci. Conceptus verò subtiliores ex libris quæsitæ, aut aliàs laboriosè inventi omninò non faciunt pro communibus, rusticisque Auditoribus, & reservanda sunt Auditoribus doctrinâ, & nobilitatè spectatis; quod tamen & rarum esse debet, & semper admiscenda sunt, quæ homines permoveant ad contemptum rerum humanarum, & æternam salutem consequendam. 3. Conciones nunquam ex tempore, aut aliàs cursim, neglectimque fiant, sed benè, studiosèque elaborentur. 4. In ipsa elocutione voce gravi, distinctâ, lentâque pronuntiandum est, vitatis immanibus illis clamoribus, quæ furentem porius, quàm ardentem Concionatorem decent. 5. Sed ante omnia ante Concionem rogandus est DEUS, in cujus manu sunt hominum corda, & sine cujus gratia Concionator clamare potest, sed non efficaciter operari.

QUARTO. In primis Mensium Dominicis nullæ fiant nuptiæ, publicæque computationes penitus prohibeantur.

QUINTO. Sub re Divina constituentur, qui tumultuantes, colloquentes, &c. compescant.

SEXTO. Confraternitates novæ non admittantur, cùm antiquis præjudicent, impediântque exercitia alia Christianæ, solidæque pietatis.

SEPTIMO. Diebus Dominicis, & Festis nemo venari permittatur.

OCTAVO. Nullus caupo officio divino durante cibum, potumque apponat; nec permittantur mercatores merces suas exponere. Subinde quòque indagandum, an diebus Dominicis, & Festis molitores, pistores, laniones, fullones, piscatores, &c. à laboribus suis abstineant, vel eos, præsertim sub Officio Divino, occultè exercent.

NONO. Si qui augures, præstigiatores, thesaurorum effossore, medici magiæ suspecti, aut aliàs superstitiosi homines observentur, illi quamprimum Fiscali denuntientur, præsertim verò illi Errones, quos Ziginos vocant, quippe perditissimæ vitæ, nullâ ratione in Parochiis tolerantur.

DECIMO. Parochi quòque abigi curent, qui numismata vendunt quasi Indulgentiis prædita, & propterea pretium augent. Quod si tales deprehendantur, hujusmodi perniciosas merces Fiscali confiscandas denuntient, aut aliàs ab Officialibus sæcularibus confiscari faciant.



§. V.

De Sacramento Baptismi.

PRIMO. Diligenter ab omnibus Parochis inquiratur in obstetrices, quæ in ea Parochia versantur, an videlicet sint Catholicæ, benè instructæ, calleantque modum, & formam in necessitate baptizandi; sæpius quoque intra annum præfatas obstetrices examinent, an necessaria ad baptismum calleant; curentque examinari à peritis medicis, aliisque obstetricibus.

SECUNDO. Baptismalia convivia, & computationes in die Baptismi, præsertim scæminarum, penitus abrogentur.

TERTIO. Non permittant Parochi, ut à parentibus Catholicis Patrini hæretici adhibeantur.

QUARTO. Baptizatis non imponantur nomina, nisi Sanctorum, & quorum vita Fidelibus sit comperta. Nomina verò Baptizatorum, & cognomina, Parentum quoque ac Patrinorum cum annotatione anni, mensis, diei, ac domicilii in librum ad hoc specialiter deputatum inscribant, & benè clausum custodiant.

§. VI.

De Sacramento Confirmationis.

PRIMO. Quando contingit, ut Sacramentum istud in Territorio S. Galli, vel in vicinia administretur, dent operam Parochi, ut id à suis Parochianis necdum Confirmatis non negligatur, sed reverenter, devotè, ac fructuosè recipiatur.

SECUNDO. Singillatim verò moneant, ut jam semel confirmati iteratò non accedant; ut adulti præmittant Confessionem Sacramentalem, aut, si Confessarii copia non sit, saltem actum veræ Contritionis cum emendationis proposito eliciant, & si quo modo facile fieri possit, jejuni accedant, interrogatque ab Episcopo suum nomen edicant.

TERTIO. Jubeant, ut, qui speciales Patrinos sibi elegerunt, id Parochis indicent, qui nomina utriusque inscribant in libro ad id singulariter deputato.

QUARTO. Munus Patrini in Baptismo, vel Confirmatione nullus ex Parochis, & Sacerdotibus nostris in se suscipiat.

§. VII.

De Venerabili Eucharistia.

PRIMO. Parochi sæpè subditos suos instruant circa modum, præparationem, & gratiarum actionem ante, & post Communionem adhibendam, ac præsertim sæpissimè inculcent, ne, quâ die sacram Mensam accessere, tabernas, ludosque publicos frequentent.

SECUNDO. Homines sæculares, ac præsertim è plebe (rarissimis casibus exceptis) non admittantur nimis frequenter ad sacram Communionem, id enim & venerationem, & fervorem paulatim minuit, sitque ut imparati, indevoti, & cum minimo fructu accedant. Sufficere ergò videtur, si singulis mensibus semel sacram Eucharistiam accipiant. Pueri præsertim frequenti Communione omninò arcendi sunt.

TERTIO. Quibus diebus populus sacro Epulo refectus est, moneantur, ut etiam post prandium Ecclesiam, & Catechesin adeant.

QUARTO. In Civitatibus, aut pagis frequentioribus sacra Eucharistia cum majori apparatu, comitatuque ad ægros deferatur; Si verò extra prædictos pagos, vel oppida Venerabile ad ægros sit deferendum, fiat quoque cum debita reverentia, & ceremoniis tam per viam, quam in ædibus, in quibus æger decumbit, sitque semper saltem unus, qui pallio indutus, & cereum manu deferens Sanctissimum comiteretur tam ab Ecclesia ad ædes infirmi, quam rursus ad eandem, & admoneantur Primores de merito, quod sibi comparabunt, si Sacerdotem devotè fuerint comitati; dùmque ægrotus providetur, alii modestè, & inter preces foris expectent.

QUINTO. In Festo Corporis Christi, ejusque Octava, nullæ prorsus computationes, convivia, bannalia, &c. admittantur, idque Parochis æquè, ac sæcularibus sit deinceps interdictum: abstineant quoque Officiales sæculares publicationibus Mandatorum civilium, nec publica judicia exercentur, nullæque nuptiæ.

SEXTO. Sacra Eucharistia iis mulieribus denegetur, quæ circa pectus, & brachia, collumque nudæ incedunt.

SEPTIMO. Cùm Parochi sacrum Viaticum ad ægrotos deferunt, nec ipsi, nec æditui aliquid accipiant stipendii, aut mercedis loco. Quòd si hujusmodi mercedes hætenùs spectaverint ad salarium, & necessariam sustentationem Parochi, & æditui, istis aliundè provideatur.

OCTAVO. Quando Sacerdotes ad sacrum peragendum procedunt,

dunt, aut eo finitio revertuntur, talari, superpelliceo, & bireto induti sint, caréntque, ut ipso habitu exteriori, compositisque moribus reverentiam spectantibus inspirent. In ipsa autem celebratione Missæ omnia cum summa gravitate, decore, & observantia Ceremoniarum fiant, ut videlicet sacrificio assistentes ædificentur, & semper in iis crescat veneratio, & æstimatio tanti sacrificii.

NONO. Deinceps, cùm Neomissæ primum sacrificium DEO omnipotenti offerunt, nulli ampliùs adhibeantur Patres, Matrèsque spirituales.

DECIMO. Qui celebranti Sacerdoti ministrant, sint talari violaceo, & superpelliceo induti, curéntque Parochi, ut hujusmodi Ministri nec veste, nec rustico aspectu, aut moribus tam sacram actionem dedeçant.

UNDECIMO. In stipendiis quæ pro Missis offerri solent, maximè abstineant turpi quæstu, aut mercatu, id enim & sacrificium, & ipsos Sacerdotes magno contemptui exponit.

DUODECIMO. Pertinet quóque ad ipsam sacrificii decentiam, ut Parochi nec comam, nec barbam prolixam habeant, sed modicam, decentémque.

§. VIII.

De Sacramento Pœnitentiæ.

PRIMO. Abrogetur illa consuetudo, quâ confitentes tempore paschali solent in Confessionali nummum Sacerdoti offerre.

SECUNDO. Tempore Paschali Parochi nec suadeant, nec dissuadeant pœnitentibus, suisque Parochianis, ut apud Regulares annuâ Confessione defungantur, sed iis libertatem omnem permittant. Communio tamen paschalis, quantum fieri potest, in Ecclesia Parochiali peragatur.

TERTIO. Cautissimi sint Confessarii in examinandis circumstantiis peccatorum, præsertim luxuriæ, id enim in maximum scandalum, ac periculum tam Pœnitentis, quàm Confessarii vergere potest, ac etiam docentur subinde ipsi pœnitentes, quæ meliùs, & innocentius ignorent. Sciant ergò Parochi ex D. Thomæ, & gravissimorum Theologorum sententia, circumstantias aggravantes non esse necessariò exponendas, quod maximè locum habet in peccato luxuriæ. Sciant quóque, Parochum non obligari pœnitentes examinare; id enim officium est

est ipsius pœnitentis, quod, etiamsi in aliis peccatis admitti non deberet (sunt enim pœnitentes sæpissimè rudes, & idèò examine indigent) admitti tamen debet in peccato inhonestatis, propter scandala, & pericula; quòd si, qui peste laborant, non sunt exquisitè interrogandi, aut examinandi propter periculum mortis corporalis; id multò magis obtinet in iis, qui laborant peste impudicitiae, quæ facillimè in alios quòque diffunditur, quæque periculum affert mortis spiritualis.

QUARTO. Meminisse debent Confessarii se dispensatores esse, & Ministros Sacramenti pœnitentiae, non verò Dominos absolutos, sicque nequeunt absolvere, qui indispositi sunt, & incapaces absolutionis ex defectu veri doloris, & propositi emendationis. Præcipuè verò incapaces videntur recidivi, præsertim in materia impudicitiae, perjurii, & injustitiae. Observanda ergo hæc erit Regula, videlicet: si qui sæpius in idem peccatum relabantur, iisque verum dolorem ostendant, ac simul remedia efficacia adhibeant extripandæ malæ huic consuetudini; ij possunt sine scrupulo absolvi juxta illud Christi Domini: *Non dico tibi septies, sed septuagies septies.* Si qui verò in peccata relabantur, & ij nullum ferè dolorem præferant, aut nulla efficacia remedia adhibeant, vitio, malæque consuetudini eliminandæ, ij nullo modo possunt, nec debent absolvi: tales sunt, qui vitare nolunt nocturnos, aut aliàs periculosos conventus; commercium cum iis personis, quæ ipsos in peccatum impulsere; periculosas cohabitationes, famulatus, separationes à suis uxoribus lucris, aut mercaturæ causâ, unde plurima adulteria, aut etiam turpiora flagitia. Sic etiam, qui aliquoties moniti restituere nolunt; aut qui nullam, aut non sufficientem diligentiam adhibent, habitum pejerandi, aut aliàs temerè jurandi deponendi. Hujusmodi, inquam, recidivi peccatores, qui aut de peccatis non dolent, aut propositum non habent se emendandi, repellendi sunt, nec donandi Sacramentali Absolutione, aut saltem ista differri debet ad duas, trêsvè hebdomadas, donec emendati revertantur, alioquin Confessarii se complices faciunt alienorum peccatorum, & in illis completur illa Christi sententia, *Cæcus cæcum ducens, uterque in foveam cadet.*

QUINTO. Non admittant Confessarii in famulis, & ancillis, aut aliis quibuscunque tacitas, & occultas compensationes.

SEXTO. In Confessionibus generalibus excipiendis peccari à Parochis solet per excessum, vel per defectum. Sunt enim multi, qui Confessione generali indigent, & isti audiendi sunt: alij sunt, qui non indigent, imò quibus hujusmodi Confessiones detrimento magis, quàm utilitati sunt; & istos oportet placidè, benignèque dehortari. Si qui ergò apud Parochum Confessionem generalem peragere velint, patienter, libenterque audiantur, aut, si tempus omninò non permittat, quia

videlicet quamplures alii pœnitentes præstò sunt, ad proximam diem, aut etiam horam differantur; modò periculum non sit, ne amplius non redeant, tunc enim audienti erunt, præstátque paucos pœnitentes, sed integrè, optimèque absolvere, quàm multos cursim, & imperfectè. Præsertim homines adulti, cordati, mercatores, milites, sacerdotes, iudices, juvenesque diuturnis peccatis obstricti, ij, inquam, omninò admittendi sunt ad Confessiones generales, idem quòque dicendum de mulieribus, exceptis paucis, quæ sæpiùs integrè confessæ, scrupulis magis, quàm peccatis abundant. In dubio, an Confessione generali aliquis indigeat, aut non; semper Parochi inclinent in partem securiorem, hoc est, hujusmodi generales Confessiones semper admittant. Modus verò in longioribus hisce Confessionibus hic erit. 1. Permittant Parochi, ut ipsi pœnitentes pro lubitu omnia confiteantur, quæ ipsis occurrunt. 2. Postquam illi Confessionem absolverint, interroget Parochus, quot annorum sint, & à quot annis primam invalidam Confessionem peregerint; & quoties à prima illa invalida quotannis soliti fuerint confiteri, & communicare; & an, quoties confitebantur, & communicabant, recordati fuerint se invalidè, & sacrilegè confiteri, ac communicare? 3. Quibus interrogationibus præliminariter factis, ipsi Confessarii incipiant pœnitentem iterùm examinare super præceptis Decalogi, præceptis Ecclesiæ, septémque peccatis mortalibus. Hoc tamen secundarium examen omitti debet, quando pœnitentes aliàs docti, & prudentes sunt.

SEPTIMO. In pœnitentiis imponendis caveant Confessarii, ne dum pro gravissimis peccatis, levissimas pœnitentias injungunt, se alienorum peccatorum complices faciant, & nimia hæc, noxiæque facilitate pœnitentes ad relapsum invitent. Quia tamen rusticis, ac operariis vix satisfactoriæ pœnitentiæ imponi possunt, quas non multis excusationibus eludant; tantò magis studebunt Confessarii, ut pœnitentias medicinales imponant, quales sunt: breves, sed quotidianæ orationes, leviores elemosinæ, sed certo hebdomadis die dispensandæ; crebriores Confessiones; devitationes certarum domuum, & occasionum, & alia hujusmodi, quæ prudentia dictabit. Oporter enim Confessarium studiosè cogitare, quâ ratione, quibusve remediis subvenire pœnitentibus possit.

OCTAVO. Peractâ Confessione, quantum licet, Confessarii pœnitentium societatem, colloquia devitent, præsertim mulierum, multoque minùs cum ijs confabulentur, aut jocos misceant.

NONO. Ipsi quòque pœnitentes instruendi sunt, ut quàm decen-
tissimè peccata sua aperiant, omittis circumstantiis impertinentibus, & non necessariis. Quamvis, & hic quòque selectu, & prudentiâ opus
est,

est, ne necessaria omittantur, & taceantur, dum superflua jubentur amputare.

DECIMO. Ipsi Confessarij, & Parochi sæpè libros spirituales legant, aliòsque Auctores, qui de remediis peccatorum agunt, aliter enim curandi sunt blasphemi, aliter homicidæ, aut odio, & inimiciis impliciti; aliter injusti rerum possessores; aliter impudici, aliter duri corde, & peccatis longo usu assueti; nec enim sufficit audire pœnitentem, si illum non cures, & sanisati reddas.

§. IX.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

EST differentia in Rituali Romano, & Constantiensi quoad Formam Extremæ Unctionis, in Romano ponitur ista: *Per istam Sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum deliquisti.* Et ita deinceps quoad reliquos sensus.

In Constantiensi verò ista: *Ungo oculos tuos Oleo Sacro in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut per istam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus noster Iesus Christus, quidquid deliquisti per illicitum visum, &c.* Et possunt quidem qualibet uti Sacerdotes, caveant tamen, qui Constantiensis Ritualis formâ utuntur, ne sibi persuadeant (ut aliqui malè instructi faciunt) essentiam formæ consistere in illis verbis: *Ungo oculos tuos in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; Cætera autem sequentia esse tantum accidentalìa, cum in his posterioribus verbis potius essentia consistat. Itaque pollicem in Unctione sensûs applicatum teneant, donec formam Ritualis Constantiensis integram absolverint, vel, quod compendiosius, & Universalis Ecclesiæ conformius, formâ utantur Romanâ.

§. X.

De Matrimonio.

PRIMO. Abstineant Parochi causis Matrimonialibus, easque ad Judicem competentem remittant. Nullâ enim re magis invidiæ, & odio Parochianorum se Parochi exponunt, quàm si litibus se immisceant. Multò mipùs id sæcularibus sub quovis prætextu transactionis, aut compositionis permittatur, & si qui Officialium sæcularium id sibi assument, maturè Superiores moneantur.

SECUNDO. Sponsi, nisi benè instructi, non copulentur.

TERTIO. Nomina Copulatorum, annum quoque, mensem,

ae diem unâ eum testibus Parochi in libro ad hoc specialiter deputato diligenter annotent.

QUARTO. Cum dispensationes in gradibus prohibitis requirendæ sunt, ipsi Parochi attestations necessarias super gradu, causisque dispensandi expediant.

QUINTO. Adhibeant operam Parochi, ut jentacula nuptialia abrogentur, quippe indecora Sacramento Matrimonij mox suscipiendo, & sponsis dispendiosa.

SEXTO. Sæpè Parochi contra Matrimonia clandestina, & parentibus rationabiliter invitatis contracta declament.

SEPTIMO. Diligenter invigilent Parochi, ne contractis semel sponsalibus, diu executio differatur; id enim quamplurimis peccatis occasionem præbet.

OCTAVO. Si qui Conjuges separatim vivant, cogantur cohabitare, nisi ob legitimas causas à Superioribus quoad thorum separatim fuerint.

NONO. Aliquoties in anno impedimenta Matrimoniorum, & abusus, quibus Matrimonia profanantur, è Cathedra explicentur.

DECIMO. Dissuadeant Parochi dispensationes Matrimoniales citra causas legitimas, quippe quæ infelicissimos exitus habent: maximam quoque adhibeant curam, ne filiae Catholicae hæreticis nuptui dentur.

UNDECIMO. Sponsi ex diversis Parochiis in utràque denuntientur. Et, cum juxta *Trid. sess. 24. c. 1.* denuntiationes sponsalium tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnias publicè fieri debeant, nulli Parochorum licet sine dispensatione bis unâ die ejusmodi denuntiationes facere, vel proclamationem illam ante Benedictionem Sponsorum pro tertia denuntiatione computare.

DUODECIMO. Vagos, & de quibus non constat, an soluti sint, nullo modo Parochus copulet.

DECIMO TERTIO. Mulieres, quæ ex illicito concubitu pepererunt, pro Purificatione ad Ecclesiam venientes non benedicantur in pœnam peccati.

§. XI.

De Ecclesiis, & Capellis, &c.

PRIMO. Capellæ privatæ, aut destruantur, aut dotentur. In ejusmodi verò Sacellis non permittantur Sacellani, cessante obligatione speciali, aut alij Sacerdotes diebus Dominicis, & Festis celebrare, vel, si ex rationabili causa permittendum videatur, id fiat saltem sine prævio pulsu campanæ.

SECUNDO. Fenestræ Ecclesiarum clatrīs muniantur, tum furibus, tum avibus arcendis, quæ Concionatores garritu impediunt.

TERTIO. Non permittantur Mercatores prope Ecclesiarum valvas merces suas exponere.

QUARTO. Gravissimè jūvenes puniendi curentur, qui puellas immediatè ex Ecclesia ad hospitia, aut amores abducunt.

QUINTO. Areæ ludis honestis destinatæ procul Ecclesias sint.

SEXTO. Penitūs aboleatur ritus ille, quo Crux à Laicis de domo in domum osculanda circumferrur.

SEPTIMO. Nullæ imagines Sanctorum, quæ oculos offendant, in Ecclesiis tolerantur, multoque minùs Beatissimæ Virginis Statuæ profano vestitu amictæ.

OCTAVO. Diebus, quibus solemnes Processiones instituuntur, nullæ merces venum exponantur, pane excepto. Ejusmodi autem Processiones præprimis in remotiora loca cælo pluvio, & inclementi nunquam instituuntur, sed vel omninò omittantur, vel differantur in tempus, quo cum decore, & devotione celebrari possint. Sed & in ipsis quoque aliis Processionibus diligenter Parochi caveant, ne plùs DEUS offendatur, quàm colatur, si videlicet earum prætextu puellæ, jūvenesque convenient, & commensationibus operam dent. Ille quoque abusus omni ratione tollatur, quo solent jūvenes cum puellis, solus cum sola peregrinari, & hujusmodi severissime puniantur.

NONO. Nulli Parochorum in suis Ecclesiis privatâ auctoritate 40. horarum orationes instituunt, sed id solum fiat, cum in Principali Ecclesia S. Galli Sanctissimum Sacramentum exponitur, & 40. horariæ preces imperantur.

§. XII.

De Sepulturis, & Cæmeteriis.

PRIMO. Circa Sepulturam Fidelium uniformiter, & accuratè observetur Rituale.

SECUNDO. Sæcularium funera in posterum in Ecclesiis non sepeliantur.

TERTIO. Sacerdotum verò Sepulchra non permittantur fieri nimis propinquè ad gradus Altarium contra expressam inhibitionem Ritualis Romani.

QUARTO. Cæmeterium conservetur decenter mundum, nec quidquam ibidem permittatur fieri, quod esse posset contra reverentiam loci sacri.

QUIN-

QUINTO. Circa funera infantum sine Baptismo demortuorum oportet Parochos summopere invigilare, & inquirere, an ea in loco ipsis specialiter assignato, & per ordinarium vespillonem sepeliantur.

SEXTO. Denique Parochi nomina Defunctorum, annum quoque, mensem, ac diem obitus in librum ad hoc specialiter deputatum inscribant, annotentque, an ij defuncti, qui ad annos discretionis pervenerunt, cum, vel sine Sacramentis provisi obierint, quem librum cum reliquis de Baptismo, Confirmatione, & Matrimonio in Visitatione generali semper exhibeant.



ORATIO

SUB FINEM HUIUS CONVENTUS GENERALIS

Ad

CLERUM SANCT-GALLENSEM

Dicta abs Illustrissimo & Reverendissimo S. R. I. PRINCIPE,
& ABBATE Monasterij S. Galli

CÆLESTINO SFONDRA TI

Die 10. Maij Anno 1690.

DE TRIBUS BONI PASTORIS CONDITIONIBUS.

*Ego sum Pastor bonus, & cognosco oves meas, & animam
meam pono pro ovibus meis. Joann. 10.*



Inter tot titulos, & elogia, quibus Pontificem Nostrum Magnum Evangelium exornat, illud præcipuum est, & hominibus charius, quo vocatur Pastor. Sic illum Sponsa in Canticis appellabat, cum Jesum amaret, quæreretur: *Indica, inquit, mihi, ubi pascas in meridie*: Quasi dicat: non curo, ubi Dilectus meus cælum, & terram ex nihilo condit, ubi miracula faciat, ubi aquam in vinum transmutet, ubi Lazarum à mortuis revocet: quid enim mihi prodest, quid in cælis, aut quid in terris Dilectus meus faciat, si me non pascit? indica ergò mihi, ubi pascat, ubi cubet in meridie,

die : indica mihi, ubi doceat ignorantes, ubi Samaritanas convertat, ubi Magdalenas absolvat, ubi Zachæum, & Publicanos in amplexum recipiat, ubi in Jordane baptizet, ubi panem Angelorum, & Evcharistiam distribuatur, verbo : indica mihi, ubi pascas ; nam, si me non pascis, nihil mihi prodes. Nomen hoc Pastoris tam charum, & pretiosum fuit summo nostro Sacerdoti, ut quamprimum in hunc mundum venit, nativitatem suam Pastoribus nuntiari per Angelos voluerit ; non Herodi Regi, non Pilato Præsidi, non Annæ Prophetissæ, non Joanni Baptistæ, sed Pastoribus, ut ostenderet, in Cælorum Regno primas partes, primasque sedes non Regibus, non Prophetis, non Cherubinibus, non Seraphinis, sed Pastoribus deberi. Vobis ergo, Venerabiles DD. Sacerdotes, qui cum Christo Jesu nomen, & dignitatem Pastorum communem habetis, vobis, inquam, ostendam, quas virtutes in suis Pastoribus DEus desideret ; illas videlicet, quas ipse Christus Joann. 10. vivis coloribus descripsit, ac tandem suis etiam lacrymis, & sanguine in tabula Crucis expressit.

I.

*E*go sum, inquit, Pastor bonus. Prima virtus Pastoris, ut sit bonus : Nam Pastor, qui non est bonus, sed malus, perdet oves, non pascet : quemadmodum enim Medicus malus nocet ægrotis ; gubernator malus nocet navigantibus ; auriga malus nocet viatoribus ; ita Pastor malus nocet animabus, easque morti, naufragio, & æterno casui exponit. Ille ergo non est Pastor bonus, sed Pastor malus, qui in statu versatur peccati mortalis, expers divinæ gratiæ, & civis inferni. Quamvis benè concionetur, quamvis ægrotos inviset, corollam ad latus, librum manu gesser, talari amictus, perdius & pernox in Tribunali Pœnitentiæ, quotidianus ad Aram, si tamen peccato mortali tamquam lethali peste infectus, ah ! non est Pastor bonus. Non sum ego, qui hoc dicit, sed Apostolus Paulus, cui utique fidem præstabit. Si, inquit, linguis hominum loquar, & Angelorum : Si habuero omnem scientiam, si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas ; Charitatem autem non habeam, nihil sum, & nihil mihi prodest. Quomodo ergo sit Pastor bonus, qui nihil est, & qui nihil prodest ? aut quomodo poterit alienas animas benè pascere, qui animam suam pascit malè ? quisque non sufficit uni animæ suæ gubernandæ ; quomodo sufficiet 500. aut 1000. gubernandis ? Non est hæc mea argumentatio, sed Divi Pauli : Qui domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ DEI diligentiam habebit ? Ergo non potest esse aliis bonus, qui sibi est malus. Mihi credite, Venerabiles Sacerdotes ; nulla res ita infernum implet damnatis, ut vita mali

Pa.

Pastoris ; homines enim plùs credunt exemplis malis, quæ vident, quàm verbis bonis, quæ audiunt ; plùs movet concio morum, quàm concio linguæ. Quidquid ergò Sacerdos pro castitate, pro temperantia, pro modestia dixerit ; si ipse impudicus, intemperans, dissolutus fuerit : si foris pernoctet, si tabernas frequentet, si liberius fœminas spectet ; populus quòque impudicus, intemperans, dissolutus erit, sicque ex moribus boni, aut mali Pastoris pendet vita, aut mors Christianorum. Aliorum Mortalium vitia sunt instar morbi non pestilentis, qui videlicet solis nocent, febris enim, & podagra, & paralyfis non nocent, nisi habentibus. Vitia verò Sacerdotum sunt instar pestis, quæ nocet etiam sanis ; unusque infectus peste, mille aliis est causa mortis. Sed id procul à vobis DEI Sacerdotes ; nemo vestrùm pestem in oculis, in ore, in manibus habeat, alioquin omnes illi, aut illæ periclitantur, ac forsàn moriuntur, quos domi, quos foris, quos in plateis malo exemplo afflatis. Hoc est, quod olim plùs, quàm myrrheis lacrymis deplorabat Zacharias *cap. 11. Ululate abietes, quia cecidit Cedrus.* Quod sunt inter arbores Cedri, hoc inter homines sunt Sacerdotes ; reliqui Christianorum abietes sunt, sordidi, steriles, & virtutum floribus nudi. Sacerdotes verò altissimi sunt, ut Cedri (quæ enim dignitas vel in cælo, vel in terra Sacerdotali comparanda !) odoriferi sicut Cedri ; nam tonsurâ, habitu, professione, sacrificiis, modestiâ ubique cælum, & sanctitatem spirant ; immortales ut Cedri, Character enim Sacerdotalis mori, & deleri non potest. Verbo : Sacerdotes sunt Cedri. Quid autem fiet, si ex istis Cedris unus cadat ? *Ululate abietes.* Ah ! de Christianis actum est ; casus enim, & præcipitium maximæ Credri ; hoc est, Sacerdotis, casus, & præcipitium erit minorum abietum, hoc est, sæcularium Christianorum. Sed tantò quòque major in Pastoribus animarum necessitas est benè vivendi, quòd pane Angelorum quotidie vescuntur. Scribit Plinius *L. 8. c. 28.* duas esse species crocodili : unam illorum, qui inter algas, lacunas, lutumque vivunt ; & istorum halitus esse fœtidissimos, ac lethales. Alterum verò genus eorum, qui in terra, pratisque degunt, & hos optimi esse, ac fragrantissimi odoris, causamque addit : *Quia odoratissimis floribus vivunt.* Si ergò etiam crocodilus quando amaraco, rore marino, & floribus pascitur, olet optimè : quantam oportebit esse fragrantiam in iis Sacerdotibus, qui quotidie illo vescuntur, qui est flos campi, liliùmque convallium ? quì fieri potest, ut non sit castus, temperans, modestus, liberalis, fervidusque : qui illo pascitur, qui est tam castus, ut appelletur frumentum Electorum, & vinum germinans Virgines : tam modestus, ut formam servi acceperit : tam liberalis, ut exinaniverit semetipsum ? ergòne pejor erit conditio Sacerdotis, quàm crocodili, ut, cum isti ex pastu florum fœtores, & vene-

na deponant, Sacerdos ex quotidiano pastu DEI incarnati vitia, malosque mores non mutet? Fieri hoc non potest; qui quotidie hoc flore cœlesti pascitur, Christumque manducat, oportet, ut sit castus, ut Christus, mansuetus, liberalis, fervens, innocensque, ut Christus, verbo, ut sit Pastor bonus.

II.

Et cognosco oves meas. Hæc est secunda conditio boni Pastoris, ut cognoscat suos: quomodo enim amabit, quos non agnoscit, & quomodo vulnera curabit, quæ nunquam vidit? cognitio ergo ovium est necessaria, ut amet, & curet. Hoc ipsum primo suo Sacerdoti Aaroni DEus imperavit *Exod. 28. Sumes duos lapides smaragdinos, & sculpes in eis nomina Filiorum Israël; portabitque Aaron nomina eorum coram Domino ob recordationem.* Ita habet versio *Sepruag.* Quod dixit Christus in Evangelio: *Cognosco oves meas; hoc prædixit in Exodo: Portabit Aaron nomina eorum in recordationem.* Hoc ergo est officium boni Pastoris, ut recorderetur, & porter: recorderetur ornando, porter adjuvando; nam si non portat illas, nec recordatur, non est Pastor, sed Mercenarius. Sed observate, nomina Filiorum Israël fuisse smaragdis insculpta: *Sumes, inquit, lapides smaragdinos;* hujus enim lapidis propria est dos, ut quantumcunque spectetur, numquam oculos fatiet, quod nulla alia gemma: Verba Plinij sunt *lib. 38. c. 5. Soli gemmarum smaragdi oculos implent, nec satiant.* Videris, Venerabiles Sacerdotes, quam constans, & perpetua memoria de ovibus, & animabus vobis commissis à DEO exigatur; numquam earum oblivisci oportet. Permitto vobis, ut etiam rei domesticæ recordemini; ut etiam de vestris proventibus, vestris consanguineis, vestris vineis, de curanda valetudine, aliisque temporalibus negotiis cogitetis; at ista cogitatio rara esse debet; sufficit semel in anno, sufficit in autumno, aut messe ea in memoriam revocare. Non ita de Animabus, quas gubernandas suscepistis; oportet, ut istarum memoria sit quotidiana, assidua, imò unica, & instar smaragdi oculos vestros, & cogitationes impleat, nec fatiet. Dicet aliquis vestrum, ego cognosco oves meas: iste Jacobus vocatur, ille Petrus, ille est dives, ille pauper, hic caupo, ille artifex, hic uxoratus, hic solutus, hic vivus, hic mortuus. At non est hæc cognitio, quam Christus desiderat, quippe quæ ad corpora, non animas pertinet; vos verò estis Pastores non corporum, sed animarum: alia sunt, quæ oportet vos animo versari; hæc videlicet: nemo ex meis Religione periclitatur? apud hæreticos servit, odia animo fovet? nemo blasphematur? nemo malè liberos instituit? nemo in peccandi occasione persistit, alie-

na usurpat, usuras exercet? nemo sine Sacramentis est mortuus? Hæc sunt, quæ oportet continuò reminisci, exquirere, sciscitari, explorare: hæc est curiositas digna Sacerdote; nec potest diuturnum esse tempus talia animo volventi. Hoc est denique partes boni Pastoris explere, hoc est cognoscere oves suas, easque in lapide smaragdino coram Domino portare. Sicut ex adverso Pastoris mali est non curare, aut ignorare, quid oves agant; etiam Cain pastor erat, sed pastor malus; quippe à DEO interrogatus: *Ubi est Abel Frater tuus?* respondit: *Nescio, numquid custos fratris mei sum?* Cui DEus magis hoc responso, quam fratricidio irritatus: *Maledictus eris*, inquit, *super terram*; qui non maledixit fratrem homicidam, maledixit pastori, & non curanti, & ignoranti. Ecce vobis exemplum pastoris mali! *Nescio*, inquit. Quid facit illa, quæ tot honestos Juvenes pervertit? *Nescio*. Quid ille Juvenis, qui nunquam, aut rarè Conciones, & Catecheses audit? *Nescio*. Et ille ægrotus, qui jam morti proximus nunquam tot annis confessus est? & ille adolescens, qui cum hæreticis agit, ac de fide periclitatur? quid, inquam, isti faciunt? *Nescio*. At istæ voces non sunt boni Pastoris; nec alia illi à DEO merces proveniet, quam illa in Cainum maledictio: *Maledictus eris super terram*. Clamant in Synodo Tridentina omnes Episcopi: non admitti excusationem pastoris, si *lupus oves devoret, & pastor nesciat*.

III.

Bonus Pastor ponit animam suam pro ovibus suis. Hæc tandem est laurea, & triumphus boni pastoris, mori pro ovibus. Vivere pro ovibus, & ex earum lacte, lanæque pasci, & vestiri, hoc etiam faciunt Mercenarij, sed animam suam, & vitam suam pro ovibus ponere, solius boni Pastoris est. Fecit Christus, quod docuit, utque se bonum Pastorem probaret, ultimas tabulas sui amoris, cum in lecto Crucis decumberet, sanguine, & morte suâ consignavit. Quamquam, quid mirum est hoc à Sacerdotibus exigi, quando longè plura amatoribus suis mundus imponit, ab iisque extorquet; ponunt milites animam suam pro stipendiis, ponunt mercatores pro mercibus; amasæ, & lenones pro Nymphis, & Helenis suis; ambitiosi, & magnates pro dignitatibus, & fascibus suis. Julius Cæsar duodecies centena hominum millia quinquaginta præliis cecidit, ut imperio Romano tribus tantum annis potiretur. Quid ergò mirum, si Christus pro vita, imperioque æterno à Pastoribus suis exigat, quod pro lucro temporali tam vano, fallacique exigit mundus ab amatoribus, à militibus, à mercatoribus, à principibus suis? Quod si aliquis nostrum esset, qui vocatus aut ad morientem adjuvandum, aut ad Catecheses, aut Confessiones peragendas, responderet, quod olim in-

invitati illi ad nuptias : ego dormio, & non possum venire ; ego ambulo, & non possum venire ; ego prandeo, ego ludo, ego cæno, & non possum venire. Heu permittite mihi, ut justo dolori indulgeam, exclamémque cum Redemptore meo : *Non est iste Pastor, sed Mercenarius, ad quem non pertinet de ovibus suis ;* quomodo enim dabit animam suam, qui non vult dare somnum, prandium, cænam, & recreationes suas ? Quis umquam aut militum, aut mercatorum, aut amatorum hujus mundi dixit : ego dormio, & non possum pugnare ? ego prandeo, & non possum navigare ? ego ambulo, & non possum pro illa, & illa dilecta laborare ? & quid si interim, dum tu prandes, & cænas, & dormis, illa anima pereat, quomodo illam recuperabis ? aut quid summo Pastori respondebis è manibus tuis illam resposcenti ? si de fungo, aut cucumere, aut tulipis in horto colligendis ageretur, dicere posses, modò non vacat ; at de anima immortalis, & de morte, vitæque perpetua agitur. Et quoties, ut luderes ut mercareris, ut rationes, & calculum duceres, somnum, ac prandium abruptisti ? Cur ergò non facies aliquoties pro animabus, quod toties pro chartis, & vitris, & pecunia fecisti ?

Non ita vos, Venerabiles Consacerdotes. Scio vos zelo, & amore DEI, ac animarum flagrare ; & cum semel vos omnes mori oporteat, scio nihil charius vobis fore, quàm si liceat inter triumphos, & laureas mori, hoc est, pro animabus, & ovibus vestris. Atque utinam liceret mihi exemplo præire ! Nolo quidem in mei gratiam populum meum à DEO mortalitate, & peste puniri ; sed si peccata nostra id tandem mereantur ; ego primus in aciem curram, ego inter amplexus, & remedia morientium vitam effundam, nec aliam à vobis orationem fugebrem, aliudque Epitaphium peto, quàm ut in tumba mea maximis, & perpetuis characteribus hæc inscriptio sculpatur : *Ego sum Pastor bonus, & cognosco oves meas, & animam meam pono pro ovibus meis. Amen.*



APPENDIX.

I.

Constitutio Benedicti Papæ XIV. qua ad-
mitur Sacerdotibus Jurisdictio, & Potestas Sacramen-
tum Pœnitentiæ administrandi complicitibus in quolibet peccato contra
castitatem, &c. & contra sollicitantes Confessari-
os, Romæ Anno 1741.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI AD PERPE-
TUAM REI MEMORIAM.



Sacramentum Pœnitentiæ, quam secundam, post naufragium
deperditæ gratiæ, tabulam Sancti Patres aprè nuncupârunt,
Nos licet immerentes ad universi Dominici Gregis curam su-
perna dispositione vocati, omne studium, & Pastoralem solli-
citudinem adhibere tenemur, ne quod post amissam Baptismi
innocentiam datum est Divina benignitate perfugium, per Dæmonum
fraudem, & hominum DEI beneficiis perversè urentium malitiam, nau-
fragis, ac miseris peccatoribus luctuosum evadat exitium; & quod in
salutem, & curationem Animarum à DEO, qui dives est in misericor-
dia, institutum est, execrabili scelestorum quorundam Sacerdotum im-
probitate, in earum perniciem, atque interitum vertatur.

Dudum quidem à fel. record. Gregorio Papa XV. Prædecessore
Nostro per suas literas in forma Brevium sub datum Romæ apud San-
ctam Mariam Majorem die xxx. Augusti MDCXXII. Pontificatûs sui
anno secundo, sapienter provisum fuit contra quoscumque Sacerdotes

audiendis Confessionibus deputatos, ad turpia, & inhonesta sollicitantes; Et deinceps successivis temporibus, ad earum literarum interpretationem, plura subindè à Congregatione Venerabilium Fratrum Nostorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium adversus hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum sub die xi. mensis Februarij Anno Domini MDCLXI. prodierunt decreta, & à rec. mem. Alexandro PP. VII. pariter Prædecessore Nostro in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ Universalis Inquisitionis die xxiv. Septembris MDCLXV. coram eo habita, inter alias ab Evangelica veritate, & Sanctorum Patrum doctrina alienas, & dissonas propositiones, sexta videlicet, & septima, huc revocandæ, damnatæ, & prohibitæ fuerunt; Nos itaque maturè perpendentes quanti momenti sit ad æternam animarum salutem ea ubique exactè observari, & quanti ad infirmas oves curandas, & decorem Sanctæ Ecclesiæ DEI retinendum, intersit, ne aliqui Sacerdotes Pœnitentiæ Sacramento nefariè abutentes, Pœnitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum porrigant, sed animo secum recolentes, se à Christo Domino Præsides, & Judices animarum constitutos, ea sanctitate, quæ sublimitati, ac dignitati muneris convenit, tam venerandum Sacramentum administrent; Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostra, præfatas literas hujusmodi, ac omnia, & singula decreta prædicta ad illarum interpretationem, & declarationem emanata, Apostolicâ Auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque omnibus, & singulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; Atque etiam, quatenus opus sit, denuò committimus, & mandamus omnibus hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, & Locorum Ordinariis omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & Locorum universi Orbis Christiani, in suis respectivè Diœcesibus, ut diligenter, omnique humano respectu postposito, inquirent, & procedant contra omnes, & singulos Sacerdotes tam Sæculares, quàm Regulares quomodolibet exemptos, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectos, quorumcumque Ordinum, Institutorum, Societatum, Congregationum, & cujuscumque Dignitatis, & Præeminentiæ, aut quovis Privilegio, & Indulto munitos, qui aliquem Pœnitentem, quæcumque persona illa sit, vel in actu Sacramentalis Confessionis, vel antè, vel immediatè post Confessionem, vel occasione, aut prætextu Confessionis, vel etiam extra occasionem Confessionis in Confessionali, sive in alio loco ad Confessiones audiendas destinato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem Confessionem, ad inhonesta, & turpia sollicitare, vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc, aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, vel

vel tractatus temerario ausu habuerint ; Et quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repperint, in eos pro criminum qualitate, & circumstantiis, severè animadvertant, per condignas pœnas, juxta memoratam Gregorii Prædecessoris Nostri Constitutionem, quam hic de verbo ad verbum pro inserta haberi volumus : Dantes etiam, si opus sit, & rursus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme, & Ecclesiæ DEI injuriosum, remaneat, ob probationum defectum, impunitum, jam aliàs in præfata Constitutione tributam, procedendi cum Testibus etiam singularibus, dummodò præsumptiones, indicia, & alia adminicula concurrant.

Meminerint præterea omnes, & singuli Sacerdotes ad Confessiones audiendas constituti, teneri se, ac obligari, suos Pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, sedulò monere, juxta occurrentium casuum circumstantias, de obligatione denunciandi Inquisitoribus, sive Locorum Ordinariis prædictis, Personam, quæ sollicitationem commiserit, etiam si Sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem validè impertiendam careat, aut sollicitatio inter Confessarium, & Pœnitentem mutua fuerit, sive sollicitationi Pœnitens consenserit, sive consensum minimè præstiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit, aut sollicitatio à Confessario, non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter Confessarii, nè Pœnitentibus, quos noverint jam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denunciationem prædictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti Judici, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant, ac promittant.

Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio, vel irâ, vel aliâ indignâ causâ commoti, vel aliorum impiis suasionibus, aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo DEI judicio posthabito, & Ecclesiæ auctoritate contempta, innoxios Sacerdotes apud Ecclesiasticos Judices falsò sollicitationis insimulant : Ut igitur tam nefaria audacia, & tam detestabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur, quæcumque persona, quæ execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per se ipsam innocentes Confessarios impiè calumniando, vel scelestè procurando, ut id ab aliis fiat, à quocumque Sacerdote quovis privilegio, auctoritate, & dignitate munito, præterquam à Nobis, Nostisque Successoribus, nisi in fine vitæ, & excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendæ, quam Nobis, & Successoribus prædictis reservamus, perpetuò careat.

Demum magnopere cupientes à Sacerdotalis Judicij, & Sacri Tribunalis sanctitate omnem turpitudinis occasionem, & Sacramentorum contemptum, & Ecclesiæ injuriam longè submovere, & tam exitiosa hujusmodi mala prorsus eliminare, & quantum in Domino possumus, animarum periculis occurrere, quas sacrilegi quidam, Dæmonis potius, quàm DEI Ministri, loco eas per Sacramentum Creatori suo, ac nostro reconciliandi, majori peccatorum mole onerantes, in profundum iniquitatis barathrum nefariè submergunt, nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & aliquorum in Theologia Magistrorum consilio desuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium Episcoporum supplicationibus, hâc nostra in perpetuum valiturâ sanctione, quemadmodum à pluribus Episcopis per Synodales suas Constitutiones jam factum esse novimus, omnibus, & singulis Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quàm Regularibus cujuscunque Ordinis, ac Dignitatis, tametsi alioquin ad Confessiones excipiendas approbatis, & quovis Privilegio, & Indulto, etiam speciali expressione, & specialissimâ notâ, & mentione digno suffultis, Auctoritate Apostolicâ, & nostræ Potestatis plenitudine interdiciamus, & prohibemus, ne aliquis eorum, extra causam extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarij munus obire possit, Confessionem Sacramentalem personæ complicit in peccato turpi, atque inhonesto, contra sextum Decalogi Præceptum commissio, excipere audeat, sublatâ propterea illi ipso jure quâcumque auctoritate, & jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam; aded quidem, ut absolutio, siquam impertierit, nulla, atque irrita omninò sit, tamquam impertita à Sacerdote, qui jurisdictione, ac facultate ad validè absolvendum necessaria privatus existit, quam ej per præsentem has nostras adimere intendimus; Et nihilominus, si quis Confessarius secùs facere ausus fuerit, majoris quoque excommunicationis pœnam, à qua absolvendi potestatem Nobis solis, Nostrique Successoribus dumtaxat reservamus, ipso facto incurrat.

Declarantes etiam, & decernentes, quod nec etiam in vim cujuscunque Jubilæi, aut etiam Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ, aut alterius cujuslibet Indulti, Confessionem dicti complicit hujusmodi quisquam valeat excipere, eique sacramentalem absolutionem elargiri; cum ad hunc effectum, & in hoc casu, nullus Confessarius, utpotè qui in hujusmodi peccati, & Pœnitentis genere, jurisdictione, ut præfertur, careat, & absolvendi facultate à Nobis privatus existat, habendus sit pro Confessario legitimo, & approbato. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim, quæ nuncupantur Cru-

ciatæ Sanctæ, vel Jubilæi Universalis, & plenarij, necnon quibusvis Ecclesiarum, & Monasteriorum, & Ordinum quorumlibet, quorum ipsi Sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam motu proprio, aut aliâs quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis; Quibus omnibus, eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialitèr, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus demum, ac præcipimus, ut omnes Locorum Ordinarii, tam præsentès, quàm futuri pro tempore existentes, in approbatione Confessariorum, tam prædictam Constitutionem Gregorij Prædecessoris, quàm præsentem hanc Nostram, ab omnibus Sacerdotibus approbandis attentè legi, & accuratè observari curent, moneântque eos in Domino, atque hortentur, ut Sacrum Ministerium ipsorum fidei commissum summâ animi innocentia, morum puritate, judicij integritate peragant, exhibeântque semetipsos, ut Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum DEI; Memores prætereâ sint, se locum tenere, ac vices obire Summi, atque æterni Sacerdotis, qui Sanctus, innocens, impollutus, per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum DEO, ut emundaret conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum DEO viventi: Sedulò igitur studeant, diligentèrque caveant, nè quærentibus, & pulsantibus eorum culpâ Cælum claudatur; ne deperditæ Ovès ad Ovile Dominicum redire properantes, eorum manibus ferarum dentibus dilaniandæ tradantur, ne prodigi Filij egentes, & saucij, ad cœlestem Patrem revertentes, nefaria eorum improbitate, gravioribus peccatorum vulneribus, dum adhuc in via sunt, confodiantur.

Ut autem præsentès Literæ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiaque Generalis in Monte Citatorio; ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, ac publicari, sicque publicatas, & affixas, omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perindè arctare, & afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personalitèr intimatæ fuissent: útque ipsarum præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarij publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides, tam in judicio, quàm ex-

trā illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostræ voluntatis, sanctionis, præcepti, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadregesimo primo, Kalendis Junij, Pontificatûs Nostri Anno I.

X. Sub-Datarius.

*Pro D. Card. Passioneo
Cajetanus Amatus.*

VISA DE CURIA

N. Antonellus.

J. B. Eugenius.

Loco † Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die xvii. ejusdem Mensis, & Anni.

II.

Litteræ Encyclicæ Benedicti Papæ XIV. de stipendiis
Missarum. Anno 1741.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis universis gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habentibus.

BE-

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabiles Fratres salutem & Apostolicam
benedictionem.*




Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missæ Sacrificium non solum omni Religionis cultu ac veneratione celebretur; verum etiam ut à tanti Sacrificii dignitate cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, importunæ atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ à simoniaca labe, vel certe à turpi quæstu non longe absunt, è medio tollantur, nemo est ex Catholicæ Fidei cultoribus, qui ignoret. Verum eousque tandem progressa est, sicut non sine ingenti cordis nostri mœrore undique accepimus, nonnullorum sive Ecclesiasticorum, sive Laicorum Virorum avaritia, quæ est idolorum servitus, ut eleemosinas quidem seu stipendia propter Missarum celebrationem juxta locorum consuetudines, vel Diocesandarum Synodorum Sanctiones in subsidium alimentorum uniuscujusque Sacerdotis dumtaxat pro regionum opportunitatibus præscripta colligant, Missas vero celebrari alibi, ubi eleemosinæ seu stipendia vel consuetudine, vel Synodali lege pro singulis Missis attributa sunt minoris pretii, quam illic, ubi accipiuntur, darentur. Id quam absonum sit atque alienum ab ipsa sive expressa, sive tacita pie offerentium voluntate, omnes plane intelligunt; nec aliter existimandum est; in illa enim potius Missas esse celebrandas quisque vult, ad quam religionis & pietatis stimulis ductus eleemosynas confert, aut in qua quispiam fortasse tumulatus est, quam in alia Ecclesia sibi prorsus ignota. Quod sane veluti mercaturis faciendis à turpis lucri cupiditate inductum non solum ab avaritiæ suspicione & vitio, verum etiam à furti crimine, unde restitutioni subjacet, haud immune, in causa est, ut bonorum quamplurimi, ad quorum notitiam mercatura hujusmodi venit, graviter offensi, ab eleemosynis ab celebrandas Missas amplius offerendis sese abstineant. Execrabilem hujusmodi abusum alicubi sensim irrepentem detestantes Romani Pontifices Prædecessores nostri, de consilio tum Congregationis S. R. E. Cardinalium Universalis Inquisitionis contra hæreticam pravitatem, tum Congregationis Cardinalium

Concilii Tridentini interpretum decretum voluerunt, nimirum à quolibet Sacerdote stipendio seu eleemosyna majoris pretii pro celebratione Missæ à quocumque accepta non posse alteri Sacerdoti Missam hujusmodi celebraturo stipendium seu eleemosynam minoris pretii erogari, etsi eidem Sacerdoti Missam celebranti, & consentienti se majoris pretii stipendium seu eleemosynam accepisse indicasset. Ea propter Vos, Venerabiles Fratres in Apostolici Ministerii, & sollicitudinis nostræ partem adscitos rogamus, & maximopere in Domino hortamur, ut custodientes vigilias super gregibus vestris, enitami, ne ea pestis amplius pervagetur, sed ut penitus extinguatur. Ab avaritia enim, tamquam à radice mala omnia germinant; quam quidam appetentes, erraverunt à Fide, & inferuerunt se doloribus multis. Avaritia quidem nulla potior contagio, quæ conceptam apud omnes Sacerdotalis dignitatis perfectionisque opinionem magis inficiat, evellatque. Avaritia opibus DEum posthabere, ac servire Mammonæ docens, efficit, ut Avari hæreditatem non habeant in Regno Christi & Dei. Quod si hæc in Laicis hominibus minime toleranda, atque adeo legibus coërcenda, quid in Ecclesiasticis viris, qui terrenis rebus nuntium miserunt, qui in sortem Domini vocati, qui Deo mancipati sunt? Quid non per mundana lucra, sed Altaris ministerium tam sordide, & cum sanctissimarum legum contemtu, & cum Sacerdotalis characteris dedecore in avaritiam præcipiti animo rapiuntur? Contendite, igitur, Venerabiles Fratres, quibus Christi ovium cura demandata est, non solum ut verbo & exemplo præeuntes, Christi sitis bonus odor in omni loco, unde populi vestigia vestra sequantur; verum etiam ut Ecclesiasticos primum, deinde Laicos viros ab infectis vitiorum pascuis avertentes, per viam mandatorum Dei ad Cœleste Oyile currere doceatis. Quoniam autem ita comparatum est, ut præsentis pœnæ metu salutaribus monitis facilius obtemperetur; per Edictum in vestris Dicecesibus proponendum affigendumque Universis notum facite, quemcunque, qui eleemosynas seu stipendia majoris pretii pro Missis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines, vel Synodalia Statuta exigunt, colligens, Missas, retenta sibi parte earundem eleemosynarum seu stipendiorum acceptorum, sive ibidem, sive alibi, ubi pro Missis celebrandis minora stipendia seu eleemosynæ tribuuntur, celebrari fecerit, Laicum quidem seu Sæcularem, præter alias arbitrio vestro irrogandas pœnas, Excommunicationis pœnam, Clericum vero si ve quemcumque Sacerdotem pœnam Suspensionis ipso facto incurrere; à quibus nullus per alium, quam per Nos ipsos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit. Fore autem in Domino confidimus, ut unusquisque, me-

memor conditionis suæ, posthac bene consultum velit animæ suæ, nec tam salutares leges censurasque Ecclesiasticas parvipendat. Interea Fraternitatibus Vestris Apostolicam Benedictionem in populos etiam curæ vestræ commissos redundaturam peramanter impertimur. Volumus autem, ut præsentium literarum five exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Anulo Piscatoris die trigesima mensis Junii millesimo septingentesimo quadragesimo primo Pontificatus Nostri Anno Primo.


D. Cardinalis Passioneus.

ROMÆ, Ex Typographia R. Camera Apostolicæ 1741.



III.

Bulla Clementis Papæ XII. qua diversæ indulgentiæ, docentibus, & adultis discentibus Doctrinam Christianam in urbe, ac Italia, insulisque adjacentibus concessæ, extenduntur ad Christi Fideles ubicumque locorum existentes.



CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

 **P**astoralis Officij, quo Catholicæ Ecclesiæ regimini Divina dispositione præsidemus, debitum exigat, ut ad ea potissimum curam, & sollicitudinem nostram intendamus, quæ ad augendam fidelium religionem, & animarum salutem inprimis conducere in Domino conspiciamus; Aliàs siquidem ad uberes fructus, ac spiritualem Christifidelium ædificationem, quæ ex assiduo usu, & explic-

ca-


catione Catechismi, sive Doctrinae Christianae provenire noscebantur, paternae dirigentes considerationis nostrae intuitum, diversas ordinationes à nonnullis Romanis Pontificibus nostris ad promovendum hoc pium, fidelique populo adeò necessarium opus, quo ille fidei Catholicae rudimentis, ac mysteriis, Christianisque virtutibus instruitur, salubriter editas, per edictum die xv. Novembris MDCCXXX. jussu nostro promulgatum confirmavimus, ac etiam ampliavimus; & subinde Christiani fideles tam Almae Urbis nostrae, quam universae Italiae, ac Insularum adjacentium pro tempore existentes, ut operi hujusmodi ferventiùs incumbere, excitare volentes, omnes, & singulas indulgentias, & peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes, quae à quibusvis Romanis Pontificibus Praedecessoribus quoque nostris praefatum Catechismum, seu Doctrinam Christianam juxta decreta Concilij Tridentini in Ecclesiis, & Oratoriis pueros docentibus, aut eidem, dum traditur, interefferentibus, eatenus concessae reperiebantur, ad Adultos Urbis, Italiae, & Insularum praedictarum ipsi Catechismo, seu Doctrinae Christianae interefferentes extendimus. Praeterea eisdem Adultis, qui verè poenitentes, & confessi, ac sacra communione refecti, ejusmodi pio exercitio devotè intervenirent, qua vice id agerent, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxavimus; qui verò illud assidue frequentarent, eundem Catechismum, Doctrinamve Christianam docentes, vel addiscentes, ac verò similiter poenitentes, & confessi, sacraque communione refecti pro Christianorum Principum concordia, haereticum extirpatione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effunderent, in Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Paschatis Resurrectionis Dominicæ, nec non Sanctorum Petri, & Pauli Apostolorum festis diebus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessimus, & aliàs prout in nostris in pari forma Brevis die xxvii. Junij MDCCXXXV. desuper expeditis litteris, quas perpetuis futuris temporibus valere statuimus, quarumque tenorem praesentibus pro plenè, & sufficienter expresso, & de verbo ad verbum inserto habere volumus, uberius continetur. Nunc autem Nos memorati Catechismi, seu Doctrinae Christianae usum, & frequentiam tantoperè commendabilem, ac salutarem, ne fideles circumferantur tanquam parvuli fluctuantes omni vento Doctrinae, sed firmo fidei fundamento adhaerentes coedificentur in habitaculum DEI in Spiritu Sancto, ubique locorum, ac gentium propagari, magisque in dies augeri enixè cupientes, supplicationibus etiam plurimorum ex Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis extra Italiam hujusmodi existentibus, necnon dilectorum filiorum Officialium,

&

& Confratrum Archiconfraternitatis Doctrinæ Christianæ in Urbe præfata dudum auctoritate Apostolica erectæ nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, concessionem indulgentiarum, & peccatorum remissionem, pœnitentiarumque relaxationem docentibus, & Adultis addiscentibus Catechismum, seu Doctrinam Christianam in Urbe, Italia, ac Insulis adjacentibus à Nobis factam, sicut præmittitur, expeditasque desuper litteras nostras prædictas, ad universos Christifideles ubicunque locorum nunc, & pro tempore existentes eundem Catechismum, Doctrinamve Christianam similiter docentes, & Adultos addiscentes, servata earundem litterarum nostrarum forma, & dispositione, auctoritate Apostolica tenore præsentium in perpetuum extendimus similiter, & ampliamus. Non obstantibus nostra de non concedendis Indulgentiis adinstar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ipsarum præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris diē xvi. Maij MDCCXXXVI. Pontificatus Nostri anno Sexto.

F. CARD. OLIVERIUS.

ROMÆ Typis Rev. Cam. Apost. MDCCXXXVI.



IV.

Litteræ Encyclicæ Illustrissimi & Reverendissimi S. R. I. Principis & Abbatis S. Galli, &c. COELESTINI II. ad omnes RR. Parochos & Vicarios suos, de applicatione Ss. Missæ Sacrificij diebus Dominicis & Festis, &c. Anno 1743.



F

NOS

NOS CÆLESTINUS DEI, ET
APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ABBAS
MONASTERII S. GALLI, ORDINIS S. BENEDI-
CTI EIDEM S. SEDI IMMEDIATE SUBJECTI, NEC NON MO-
NASTERII Ss. JOANNIS BAPTISTÆ, & EVANGELISTÆ IN
VALLE THURÆ, &c. S. R. I. PRINCEPS, REGII ORDI-
NIS ANNUNTIATÆ VIRGINIS EQUES, &c. &c.

Salutem in Domino sempiternam.

Reverende, fidelis, dilecte.



Quamvis plurium veterum Theologorum sententiā, & quasi communis in hisce Germaniæ partibus persuasio olim fuerit, Parochos non esse obligatos singulis Dominicis, & de præcepto Festis diebus pro commissis sibi ovibus S. Missæ Sacrificium applicare, sed eisdem obligationi pastorali satisfacere, si sæpius per annum id agant; S. Congregatio tamen Concilij Tridentini jam anno 1692. declaravit. Parochos teneri diebus Dominicis, & Festis de præcepto Sacrificium Missæ pro ovibus suis applicare, etiamsi congruam in solis incertis habeant. Novissimè verò, de die scilicet nonâ Februarij anni currentis, Eadem S. Congregatio ex Mandato Ss. Pontificis specialibus litteris desuper Nobis rescripsit in hæc verba: *Falsa, atque damnata, & minimè toleranda illorum sententiā est, qui se reddituum tenuitate excusatos, absolutosque arbitrantur ab onere Sacrificij diebus Dominicis, & Festis pro populo peragendi. Parochi enim omnes omnino ad offerendum diebus omnibus Dominicis, & Festis pro populo consuetudine, lege, atque ipso Officio tenentur. Ita gravissimis, perpetuisque Decretis à S. Congregatione responsum. Ita à Pontifice Maximo Apostolica Authoritate sancitum. Iis autem Parochis, qui verā inopiā laborant, Apostolicā tantum Authoritate potest indulgeri, ut eleemosynæ causā Sacrificia diebus Dominicis, vel Festis Benefactoribus applicent, eā tamen lege, ut subsequētibz Feriis toties pro populo satisficiant, quoties emolumentz causā pro populo diebus Dominicis, & Festis offerre prætermiserunt.*

Hoc

Hoc Summi in terris Christi Vicarij mandatum, ac S. Congregationis Concilij Tridentini Decretum singulis Territorij Nostri Parochis promulgare, ac per præsentes circulares litteras intimare necessarium duximus, omnes in Domino hortando, ac seriò præcipiendo, ut huic gravissimæ obligationi singulis diebus Dominicis, ac Festis pro populo S. Missam applicandi, quocunque contrario prætextu seposito impostèrùm exactè satisfaciant, ne conscientias suas multiplicium, ac enormium peccatorum labyrintho involvant, & plùs seipsos, quàm animas sibi concreditas pascere videantur. DEUS omnium bonorum Largitor omne, quod pro ipsius honore, & salute animarum agitur, abundanter compensabit. Quod dum firmiter speramus, unâ Eidem benevolentiam Nostram ex corde confirmamus. Datæ in Monasterio Nostro S. Galli 6. Aprilis Anno 1743.

Cœlestinus Abbas.

FINIS.



